

distinximusque utramque respectu duplicitis sensus, nempe vel simpliciter dicti, vel veri, quos ambos insuper ab orationis veritate discriminavimus: Adeò ut omni interpreti in omni oratione interpretandâ tria hæc accuratè sint consideranda: non enim simulac quis unum invenerit, etiam reliqua reperisse, sibi persuadere debet. Potest enim orationis sensus esse cognitus, sine ejusdem verò sensu, & veritate; at non veritas, aut verus sensus sine sensu. Deinde noti esse possunt sensus & veritas, ignorari verò sensus verus. Ac denique perspecti esse queunt sensus & verus sensus, ignoratâ veritate. Quæ omnia attendenti per se manifesta sunt. Cùm igitur aliqua oratio in S. Literis per se clara & perspicua statuitur, vel sermo est de perspicuitate sensus simpliciter dicti, vel veri. De priori autem non esse apparet, tum ex iis, quæ modò diximus, quòd nempe sic communis loquendi usus esset Scripturarum Interpres; tum quòd hic quæstio sit non de simpliciter dicto, sed verò S. Literarum sensu: Neque enim de quâcunque, sed tantùm de genuinâ germanâque Scripturæ interpretatione disceptamus, quæ quoniam ex ipsorum sententiâ fit per loca ex se clara, illa claritas etiam non sensus cujuscunque, sed solummodò veri esse debebit. Non enim ex quôlibet ligno fit Mercurius, nec ex quôlibet sensu elicetur verus. De posteriori igitur, nempe perspicuitate veri sensus loquuntur. At hujus respectu quâ locus possit esse per se perspicuus, nos non posse videre ingenuè fatemur, & ab iis doceri ex animo cupimus. Cùm enim omni in loco duplex ille sit sensus, vel saltem duplex esse queat, necessariò dari debebit ~~certitudinem~~ quoddam, quòd infallibiliter dignosci queant, si duo occurrant, vel si unus, plures ei non inesse. Unde patet nullius momenti esse, si quis regerat aut excipiat, sensum simpliciter dictum & verum sæpius coincidere, caque loca, in quibus id contingit, & qui simplicem duntaxat habent sensum, ab ipsis tantùm pro per se claris haberi, non autem ea, in quibus differant. Quoniam enim, ut ex allatis exemplis satis liquet, id non semper obtinet, nota vel norma adferenda erit, quâ num id obtineat, certò explorari possit: atque adeò loca illa talia esse, non per se, sed per illud ~~certum~~, vel illam notam aut normam cognoscetur, quòd contra hypothesis est. Præterea etiam planè corruit illa exceptio ex eô, quòd nulla sit oratio, quæ non plures admittat sensus, ut ex iis, quæ cap. 3. diximus, satis elucet, & specialius nullum S. Scripturæ locum esse, qui non multifariam explicari possit, ipse afferit inter Reformatos non infimæ notæ Theologus Dan. Chamierus Panstrat. Cat. Tom. I. l. 16. c. I. § 1. his verbis. *Certum est, nihil esse adeò facile, adeò perspicuum, adeò certum, quod non variè detorqueri queat, etiam in sensus contrarios. Atque adeò docuit experientia, omnes Hæreses è Scripturis perperam intellectis, aut originem, aut certè incrementum sumfuisse. Quid enim crebrius occurrat?*